

sci, sed per Spiritum sanctum unicuique dari, B. Paulus ostendit. » Et infra : « Forma præcessit in carne Christi, quam in nostra fide spiritualiter agnoseamus. Nam Christus filius Dei secundum carnem de Spiritu sancto conceptus et natus est. Sic ergo in hominis corde, nec concipi fides poterit, nec augeri, nisi eam Spiritus sanctus effundat et nutriat. Ex eodem namque spiritu renati sumus, ex quo natus est Christus. »

Accedant postremo rationes, atque cæ potissimum quibus utitur S. Augustinus. Prima ratio sumitur ab orationibus Ecclesiæ. Oratio enim Ecclesia pro infidelibus, ut convertantur, et hoc ipsum juberi dicit S. Cyprianus in expositione orationis Dominicæ, cum Dominus præcipit, ut orantes dicamus, fiat voluntas tua sicut in cælo et in terra. At frustra fierent istæ preces, si possent infideles sine Dei auxilio credere : satis enim esset illis prædicare fidem, et admonere ut crederent.

Neque responderi potest, orari ab Ecclesia Deum ut habitum fidei donet volentibus et incipientibus credere. Nam Ecclesia, juxta præceptum Domini, orat pro persecuentibus et calumniantibus se : qui vero persequuntur Ecclesiam, certe neque volunt, neque incipiunt credere. Orat igitur Ecclesia, ut Deus infideles de nolentibus faciat volentes, de infidelibus fideles, et de persecutoribus defensores, quomodo novit, actum esse cum ipso Apostolo Paulo, cui tunc donata est fides, cum spiraret minas, et cædes in discipulos Domini. Et hoc ipsum indicant antiquissimæ illæ preces, quæ funduntur ab universa Ecclesia in Parasceve, ubi oratur Deus ut auferat velamen de cordibus infidelium, ut adaperiat aures præcordiorum, ut illustret cæcitatem, et tenebras mentium, ut eruat ab erroribus animas diabolica fraude deceptas.

Secunda ratio, sumitur ab absurdis, quæ sequerentur, quæ sunt potissimum tria. Primum enim sequeretur, gratiam secundum merita nostra dari, et ita gratiam non esse gratiam, quod ita visum est absurdum Patribus nostris, ut in Concilio Palæstino (quod primum contra Pelagium celebratum est) ipse etiam Pelagius id (quamvis ore, non corde) damnaverit. Id autem sequi, probat S. Augustinus in epist. 106. quoniam nonnullum est meritum fidei, ratione cujus oratio impetrat, quidquid postulat. Meretur enim exaudiri, qui postulat cum fide.

(1) Rom. XI, 35; I Cor. IV, 7.

Deinde sequeretur, initium salutis esse ex nobis, nam cum justus ex fide vivat, si initium fidei esset ex nobis, initium vitæ esset ex nobis. Id autem esse absurdum patet. Tum quia repugnat Apostolo dicenti : *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei.* Roman. XI. Et : *Quid habes, quod non accepisti?* I Corinth. IV. (1). Tum quia si potest homo per se incipere credere, poterit etiam per se augere fidem ; difficilius enim est incipere opus, quam augere inchoatum, atque ita vel non egebunt homines Deo, vel ita partientur cum eo, ut sibi tribuant quod est melius, illi quod est deterius, sive priores operis partes sibi, posteriores Deo.

Postremo sequeretur, tolli penitus fundamentum divinæ prædestinationis et electionis ; non enim salvæ fierent reliquæ secundum electionem gratiæ, ut Apostolus prædicat ad Romanos cap. XI. sed juxta meritum fidei, et bonum usum liberi arbitrii, ut S. Augustinus efficacissime probat in libro de prædestinatione sanctorum. Quoniam enim duo sunt fundamenta prædestinationis, fides et perseverantia, ideo in priore duorum illorum librorum demonstrat, fidem esse donum Dei, in posteriore idem probat de perseverantia.

Tertia ratio pendet ex iis, quæ dicuntur in 4. cap. Demonstrabimus enim, nullum opus pietatis vel inchoari, vel perfici posse, sine speciali gratia Dei ; certum autem est, initium fidei includere pium affectum, ac per hoc esse opus pium, vel certe pii operis inchoationem.

CAPUT III.

Solvuntur objectiones contra doctrinam capituli superioris.

Objectiones adversus ea, quæ paulo ante docuimus, hæ potissimum fieri solent.

Primum, infideles multa credunt solis viribus liberi arbitrii non minus difficilia, quam sunt articuli nostræ fidei, ut continuum secari posse in infinitas partes, inter quælibet duo puncta notata, quamvis inter se proxima, intercedere alia infinita : unam esse mentem omnium hominum, qui sunt, erunt, fuerunt, et alia id genus plura, quæ philosophi vel omnes, vel aliqui sibi persuaserunt : cur igitur non possint etiam credere articulos nostræ fidei, præsertim cum hi multis miraculis comprobati sint, si res non minus arduas sine ulla miraculis crediderunt?

Secundo pagani atque hæretici sæpe multos articulos nostræ fidei credunt, ut Christum esse Virginis filium, quod credunt Mahometani, et Deum esse trinum et unum quod credunt Calvinistæ, alique plurimi ex hæreticis hujus temporis : at hæc eorum fides non est donum Dei, neque credibile est eos per speciale Dei auxilium ista credere, cum ex eodem principio ista vera credant, quo suos errores credunt. Mahometani siquidem, quemadmodum ob Alcorani auctoritatem credunt, Christum esse Virginis filium, sic ob ejusdem Alcorani auctoritatem credunt, Christum non esse Dei filium, nec vere Deum. Et qui nunc inter Lutheranos educantur, ut credunt ministro prædicanti, Deum esse trinum et unum, ita credunt eidem prædicanti, nullam esse arbitrii libertatem, hominem sola fide justificari, et alios id genus errores.

Tertio, non omnes facile credimus sine speciali gratia Dei vera esse, quæ Livius et Salustius, alique profani historici tradiderunt : cur non igitur poterimus eadem facilitate credere quæ scripserunt historici sacri, saltem in his rebus, quæ naturam non superant, quales sunt res gestæ Patriarcharum ac Prophetarum?

Quarto, res quædam falsæ, quæ omnem rationem excedunt, quale est paradoxum illud Lutheranorum, Corpus Christi semper esse ubique ; et illud, Infantes dum baptizantur, actu credere, firmissime credi possunt absque ullo adjutorio Dei, ut notum est : quæ igitur causa est, cur non possint credi etiam aliqua vera, sine speciali auxilio Dei, quamvis eandem rationem excedant?

Quinto, articuli nostræ fidei tot jam miraculis, aliisque testimoniis magni ponderis confirmati sunt, ut omnium judicio credibiles censi debeant, juxta illud Prophetæ Psalm. XCII : *Testimonium tuum credibilia facta sunt nimis* (1). At quod credibile est, cur sine alio auxilio credi non poterit?

Sexto, si quis ab ineunte pueritia inter Christianos educetur, etiamsi casu aliquo Baptismum non suscipiat, neque illum petat, ex consuetudine credet, quod alii credunt : quod igitur fieri potest ex consuetudine, cur non magis fieri poterit ex electione, ab eo præsertim, qui conferat dogmata fidei cum antiquis Prophetarum oraculis et signis ac prodigiis, quibus ea singulis ætatibus confirmata fuisse constat?

Ad hæc omnia facile responderi poterit, si quis observet, nos cum dicimus, sine auxilio speciali, non posse hominem credere articulos nostræ fidei, non intelligere, non posse credere ullo modo, sed non posse, ut oportet, ad hoc, ut sit actus fidei Catholicæ, et initium justificationis. Non enim hanc particulam (*ut oportet*) sine causa in decretis suis addiderunt Concilium Arausicanum can. 25. et Tridentinum sess. 6. can. 3. Includit autem illud (*ut oportet*) tres conditiones. Unam, ut certo credatur, ex parte objecti, id est, tamquam a Deo revelatum, et quod nullo modo falsum esse possit. Alteram, ut firmiter credatur ex parte subjecti, id est, ut homo nihil dubitet, et malit potius mori, quam articulum fidei non credere. Tertiam, ut ex pio affectu credatur, id est, ex quadam inclinatione pia erga Deum, quia incipit homo cervicem Deo flectere, eique se subicere ad obedientiam fidei, etiam in iis rebus, quæ rationem humanam superant.

Ad primam igitur objectionem de philosophis gentilibus, Dico eos vel habere demonstrationem, ut de divisione continui, et tunc non esse rem difficilem ad credendum, nisi imperitis : vel non habere, ut de una intelligentia omnium hominum, et tunc non firmiter credere : et præterea sive demonstrationem habeant, sive non habeant, eos non credere ex pio affectu subjiendi se Deo, sed vel quia coguntur argumentis, vel quia credunt auctoritati doctiorum.

Ad secundam de Mahometanis et hæreticis, qui aliquos Catholicæ fidei articulos credunt, respondeo, eos non habere fidem certam ex parte objecti. Nam ut fides sit certa ex parte objecti, duæ causæ infallibiles requiruntur, causa revelans articulos, et causa proponens, aut declarans articulos revelatos. Nam si is, qui revelat, et cujus auctoritate nitimur, falli possit, fides etiam incerta redditur. Itaque causa revelans non debet esse, nisi Deus. Et pari ratione si is, qui articulos revelatos proponit, aut declarat, errori sit obnoxius, et possit aliquid proponere tamquam a Deo revelatum, quod nere non sit a Deo revelatum, tota fides nutabit.

(1) Psal. XCII, 5.

Jam igitur Mahometani et hæretici, existimant quidem se credere id, quod credunt, quia Deus revelaverit, sed re vera non credunt, quia Deus revelavit, sed quoniam ipsi temere volunt id credere, quod credunt, cum non habeant causam proponentem ac declarantem revelationem Dei infallibilem. Nam si quis ab hæreticis petat, unde habeant Deum revelasse hunc articulum, aut illum: respondebunt ex divinis litteris. At si quis urgeat, unde habeant divinas litteras hoc significare, quod ipsi dicunt, cum alii aliter Scripturas intelligant: immo etiam, unde habeant, has esse divinas litteras: nihil omnino respondere poterunt, nisi ita se judicare: judicium enim Ecclesiae, quod unum Deus innumeris signis et prodigiis, aliisque testimoniis plurimis infallibile esse declaravit, jam ipsi rejecerunt, et unusquisque ad se judicium divinæ revelationis interpretandæ revocavit. Quis autem possit, nisi valde temere credere, suum ipsius judicium de rebus divinis infallibile esse, cum hanc infallibilitatem nulla neque divina promissione, neque humana ratione probare possit?

At Catholici fidem habent omnino certam et infallibilem, quoniam credunt id, quod credunt, quia Deus id revelavit: Deum autem revelasse credunt, quoniam Ecclesiam ita dicentem, vel declarantem audiunt, quam errare non posse non temere credunt, cum testimonia ejus ex plurimis signis et prodigiis, aliisque multis argumentis, quæ in libro de notis Ecclesiae numerata et explicata sunt, credibilia facta sint nimis.

Ad tertiam, de his, quæ credimus Livio et Salustio, respondeo, humanas historias nos humana fide credere, ut etiam existimimus falsas esse posse; at res divinas longe alia fide credi oportere, ut videlicet existimemus cælum et terram transire posse, Verbum autem Domini transire non posse.

Ad quartam, de iis, qui res difficillimas, sed tamen falsas credunt, respondeo, non esse omnino eandem rationem veri et falsi, sicut nec est eadem ratio boni et mali. Potest enim homo peccator ex animo, ac toto corde blasphemare Deum, non tamen potest ex animo ac toto corde laudare Deum sine speciali gratia: ita poterit figmenta sua, quamvis aliis incredibilia, ipse facile credere propter affectum erga res suas, nec tamen poterit sine speciali gratia Dei res divinas credere. Adde præterea, ejusmodi homines,

sicut temere credunt falsa et diabolica, ita etiam temere credere vera et divina, non autem sicut diximus, *ut oportet*, id est, pio affectu, ut res a Deo revelatas, et quibus falsum subesse nulla ratione possit.

Ad quintam respondeo, res credibiles sine alia gratia, credi posse, sed humana fide, non divina, argumenta enim, quæ articulos fidei nostræ credibiles faciunt, non talia sunt, ut fidem omnino indubitata reddant, nisi mens divinitus adjuvetur.

Ad sextam facilis est responsio. Nam aut puer inter Christianos natus atque educatus, ubi adoleverit, existimabit se esse baptizatum, vel sciet non esse baptizatum. Si baptizatum se esse credat, probabile erit, eum fidem divinitus infusam habere. Siquidem approbatio baptismi, quem quis se accepisse, atque habere censet, par est voto baptismi, et ad salutem æternam perducere potest. De qua re extat rescriptum Pontificium capite: Apostolicam, de presbyter. non baptiz. Si vero sciat, se non esse baptizatum, et tamen baptismum non postulet, is sine dubio non habet fidem, nisi forte humanam, vel potius nec humanam. Quomodo enim fieri potest, ut aliquis certo credat, sine baptismum se in æternum periturum, et tamen baptismum, rem videlicet factu facillimam, non postulet, neque cupiat? Neque verisimile est, posse aliquem esse inter Christianos institutum, et qui noverit fidem Christianorum, qui tamen de baptismum nihil unquam audierit, cum inter rudimenta fidei fiat mentio baptismi, et quotidie in Ecclesia recens nati baptizentur infantes.

CAPUT IV.

Non posse voluntatem humanam aliquid velle in iis, quæ ad pietatem et salutem pertinent, sine auxilio gratiæ Dei.

Sequitur altera quæstio, quæ est de viribus voluntatis humanæ, in iis rebus, quæ ad pietatem et salutem æternam pertinent. In qua quæstione eosdem habemus adversarios, quos in superiore, Pelagianos videlicet, et qui Pelagianis occulte, et sub nomine Catholico in Galliis favere studuerunt, Cassianum, Faustum, et alios. Hi enim bona aliqua desideria, initium dilectionis, dispositionem ad gratiam, et alia id genus, ex bono naturæ,

sine speciali præveniente gratia haberi posse, prædicabant.

Quibus præcipue resisterunt sanctus Augustinus in libro de prædestinatione sanctorum, et de bono perseverantiæ. Sanctus Prosper in libro contra Collatorem. Et sanctus Fulgentius in libro de incarnatione et gratia Christi a cap. 13. usque ad finem. Dicitur etiam ab Adone Viennensi in Chronico ad annum 500. egregie contra Faustum scripsisse sanctus Alchimus Avitus, vir eloquentissimus, non solum oratione soluta, sed etiam carmine, sed liber ejus injuria temporum interiisse videtur. Eundem quoque Faustum breviter refutavit Joannes Maxentius in professione fidei Catholicae, quæ in bibliotheca sanctorum Patrum exstat.

Nos tres sententias ex Scripturis et traditione Ecclesiastica paucis comprobabimus. Prima erit, non posse hominem sine speciali gratia Dei aliquid velle, aut facere in iis rebus, quæ ad pietatem et salutem pertinent. Secunda, non posse hominem propriis viribus ad gratiam se disponere, sive aliquid facere, propter quod ei divina gratia conferratur. Tertia, non posse ab homine diligere Deum, etiam ut auctorem naturæ, et imperfecte sine adjutorio gratiæ. Quamvis enim duæ sententiæ posteriores in prima includi videantur, tamen placuit eas distinguere; tum, quoniam non desunt, qui aliter sentiant; tum etiam, quoniam possunt propriis argumentis singulæ tres sententiæ comprobari.

Prima igitur illa sententia probatur, primum ex testimoniis prophetiis, evangelicis et apostolicis. Quod enim legitur Isaia cap. LXV: *Inventus sum a non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant.* Et quod Dominus ait Luc. XIX: *Veni filius hominis quærere, et salvum facere quod perierat* (1). Nonne indicat, non nos incipere quærendo Deum, sed Deum incipere quærendo et vocando nos aversos, et fugientes? illud vero quod idem dominus ait, Joan. cap. XV: *Sine me nihil potestis facere* (2). Intelligendum est omnino de bono opere, quod ad salutem pertineat: sicut etiam illud Apostoli I Corinth. IV: *Quis enim te discernit? quid habes quod non accepisti* (3)? Adversus eos facit, qui ob fidem, aut justitiam ad salutem pertinentem inflabantur, ut sæpe alias diximus. Alioqui hæ sententiæ non essent uni-

versaliter veræ. Nam aliqua bona opera naturalia, et aliqua etiam moralia sine speciali Dei gratia fieri posse, supra docuimus: Denique (ut alia multa præteream) illud ejusdem Apostoli, ad Philippenses cap. I. *Qui cepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi.* Et cap. II: *Deus est enim, qui operatur velle. et perficere pro bona voluntate* (4). Satis aperte ostendit, nihil omnino boni ad salutem pertinentis, sine Deo inchoari posse.

Probatum deinde eadem sententia ex definitionibus Conciliorum, primum Concilium in causa Pelagii celebratum in Palæstina, duodecim articulos definivit, quos etiam Pelagius ipse admittere coactus fuit. Septimus articulus erat (ut August. testatur in epist. 106.) gratiam Dei ad singulos actus dari, ac per hoc nullum actum bonum ad salutem pertinentem (de his enim quæstio erat) sine gratia fieri posse.

Deinde celebratum est Concilium frequentissimum in Africa, Episcoporum ducentorum et quatuordecim, quod a sede Apostolica approbatum a toto orbe terrarum receptum fuisse, testatur S. Prosper in Chronico; hujus Concilii decretum his verbis refert idem Prosper in responsione ad octavum capitulum Gallorum: « Cum ducentis quatuordecim sacerdotibus, quorum constitutionem, contra inimicos gratiæ Dei, totus mundus amplexus est, veraci professione, quemadmodum ipsorum habet sermo, dicamus, gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non solum ad cognoscendam, verum etiam ad faciendam justitiam nos per actus singulos adjuvare, ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus ».

Accessit denique in ipsa Gallia Concilium Arausicanum, quod jussu S. Leonis, proprie adversus reliquias Pelagianorum celebratum fuit, in cujus Concilii can. 7. hæc habentur: « Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ cogitare, aut eligere posse confirmat, etc. hæretico fallitur spiritu ». Ita videmus, tres orbis terræ partes, Asiam, Africam, Europam, per tria Concilia, in eadem sententiam pro Dei gratia conspirasse.

Per eadem tempora tres summi, sanctissimi que Pontifices, Innocentius, Zozimus, Cælestinus rescriptis suis eandem sententiam

(1) Isaia LXV, 1; Luc XIX, 10. — (2) Joan. XV, 5. — (3) I Corin. IV, 7 — (4) Phil. I, 6; ibid. II, 13.

comprobarunt. Innocentius in epistola ad Concilium Carthaginiense, quæ est apud Augustinum 91. « Adjutorio, inquit, quotidiano nos egere, negare non possumus ». Et infra: « Quemadmodum Pelagius, Celestiusque suasores se aliquibus esse confidunt, nos adjutorium Dei non debere quærere, nec egere, cum omnes sancti, nihil se sine hoc agere posse testentur? » Idem in epist. ad Concilium Milevitanum apud Augustinum 93. « In omnibus, inquit, divinis paginis voluntati liberæ non nisi adjutorium Dei legimus esse nectendum, eamque nihil posse celestibus auxiliis destitutam ».

Zozimus in epistola ad omnes Episcopos (ut refert Celestinus in epistola ad Gallos cap. 9.) « Quod, inquit, tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio, in omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus, adjutor et protector orandus est. Superbum est enim, ut quidquam sibi humana natura præsumat ».

Ipsæ autem Celestinus in prædicta epistola cap. 8. « Quotquot, inquit, spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei, ut neq. nostrum deesse sentiamus arbitrium, et in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium ».

Idem probari potest testimoniis aliorum Patrum. S. Cyprianus lib. III. ad Quirinum cap. 4. « In nullo, inquit, gloriandum, quando nostrum nihil est ».

S. Ambrosius lib. II. in Lucam cap. XII: « Vides, inquit, quia ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis, ut nemo possit ædificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo quicquam incipere sine Domino ».

S. Hieronymus in lib. III. contra Pelagianos, non longe a principio: « Hoc, inquit, longa dissertatione conclusum est, ut gratia sua Dominus, quæ nobis concessit liberum arbitrium, in singulis operibus juvet atque sustentet ».

S. Augustinus lib. II. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 5. « Liberum, inquit, arbitrium dicimus ad bene, pieque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis, Dei gratia, fuerit liberata, et ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adjuta ». Item in libro de prædestinatione Sanctorum cap. 2. « Quod, inquit, attinet ad pietatem, et religionem, non sumus sufficientes cogitare aliquid quasi ex nobis, et nemo sibi sufficit ad incipiendum, vel perficiendum

quodeumque opus bonum ». Item in libro de gratia Christi cap. 26. « Gratiam, inquit, Dei sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam, fieri posse non dubitet. » Et cap. 47. « Si, inquit, ut dixi, consenserit (Pelagius) etiam ipsam voluntatem et actionem divinitus adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil boni velimus et agamus, eamque esse gratiam Dei per Jesum Christum, Dominum nostrum, in qua nos sua, non nostra justitia facit justos, ut ea si vera justitia, quæ nobis ab illo est, nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquatur ».

Auctor Hypognotici, qui, ut alias diximus, non est Augustinus, sed alius Pater antiquus et doctus lib. III. « Esse fatemur, inquit, liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod sit idoneum (quæ ad Deum pertinent) inchoare, aut certe perficere sine Deo, sed tantum in operibus vitæ præsentis, tam bonis, quam etiam malis ». Et infra: « Vitiato ergo libero arbitrio, totus homo est vitiatus, per quod (absque adjutorio gratiæ) quod Deo placeat nec valet incipere, nec perficere sufficit ».

S. Prosper in lib. contra Collatorem cap. 38. « Non conturbat, inquit, nos superbientium inepta querimonia, quia liberum arbitrium causantur auferri, si et principia, et profectus et perseverantia in bonis, usque in finem Dei dona esse dicantur. Quoniam opitulationes divinæ gratiæ stabilimenta sunt voluntatis humanæ. Volentes oramus, et tamen misit Deus spiritum in corda nostra clamantem Abba Pater, volentes loquimur, et tamen si pium est, quod loquimur non sumus nos loquentes, sed spiritus patris nostri, qui loquitur in nobis; volentes operamur salutem nostram, et tamen ipsum velle, atque operari, Deus est, qui operatur in nobis ».

S. Fulgentius lib. de incarnatione et gratia Christi cap. 13. « Peccans, inquit, ille qui sine peccandi necessitate creatus est, in eo quod animæ sanitatem delinquendo perdidit, etiam illa cogitandi, quæ ad Deum pertinent, amisit facultatem. Oblitus est enim manducare panem suum, et expoliatus vestimento fidei, carnaliumque concupiscentiarum vulneribus sauciatus, sic jacuit oppressus ditione peccati, ut nullatenus aliquid bonæ voluntatis initium habere potuisset, nisi hoc Deo gratis donante sumpsisset ».

Sanctus Gregorius hom. 9. in Ezech. « Nos, inquit, prævenit, ut velimus, et volentes subsequitur, ne inaniter velimus ».

S. Bernardus in lib. de gratia et libero arbitrio: « Conatus nostri, inquit, et cassi sunt, si non adjuventur, et nulli, si non excitentur ».

His accedat argumentum ab orationibus, et gratiarum actione. Non enim sine causa orat Ecclesia, ut Deus actiones nostras aspirando præveniat, et adjuvando prosequatur, nec sine causa pro omni bono opere gratias agit, nisi quia novit, nihil veri boni, id est, quod ad salutem pertineat, sine Salvatoris gratia fieri posse.

Accedat postremo damnatio operum Cassiani et Fausti, in Concilio Romano, præsidente S. Gelasio Papa, quæ habetur in decreto Gratiani distinct. 16. canone S. Romana. Non enim alia de causa opera Cassiani et Fausti, quæ alioqui multa valde utilia continent in apocryphis numerantur, nisi propter sententiam istam de bonis operibus ad pietatem pertinentibus, quæ illi sine adjutorio gratiæ fieri, aut inchoari posse disputabant. Quibus adde, Faustum propter hos errores habitum fuisse Pelagianum hæreticum, ut testes sunt Isidorus in lib. de scriptoribus, Ado Vienensis in Chronico, et auctor vitæ S. Fulgentii cap. 26. Quod si vir doctissimus Ruardus Tapperus observasset, non tam sæpe Faustum Catholicum appellasset.

CAPUT V.

Non posse hominem solis naturæ viribus ad gratiam recipiendam, ullo modo se præparare.

Altera sententia erat, non posse hominem solis naturæ viribus ad gratiam recipiendam, ulla se ratione disponere. Quæ sententia ita intelligenda est, ut non solum non possit homo suis viribus se præparare ad habitum gratiæ gratum facientis, sed neque ad gratiam adjutorii specialis: et rursus, non modo non possit ita se præparare, ut ex condigno illi gratia conferatur, sed neque ut ex congruo, ac demum nihil

agere possit, cujus causa Deus illi gratiam dare dicatur.

Id vero primum probari potest omnibus argumentis, quibus superior sententia confirmata est. Nam omnis dispositio ad gratiam, aliquid est ad salutem æternam perfinens: proinde fieri non potest solis naturæ viribus, si quid valent testimonia Scripturæ, Conciliorum et Patrum capite superiore prolato. Sed duo præcipue loca ex iis, quæ citavimus capite superiore, urget S. Augustinus in lib. I. ad Bonifacium cap. 19. et lib. II. cap. 8. illud Joan. VI. *Nemo potest ad me venire, nisi Pater traxerit eum* (1). Nam qui se disponit, non debet trahi, sed duci, jam enim venire paratus est. Et illud Joan. XV. *Sine me nihil potestis facere* (2). Posset enim Dominum convincere, qui posset se disponere. Diceret enim: Ecce sine te cor præparavi. Qui eodem modo Apostolo dicenti, I Cor. IV. *Quid habes, quod non accepisti* (3)? responderet, habeo cordis mei præparationem.

Deinde probant hanc sententiam illæ omnes Scripturæ, quæ docent, conversionem ad Deum esse opus Dei, ut Psal. LXXXIV. *Converte nos Deus salutaris noster*. Et Thren. V. *Converte nos Domine, et convertemur* (4). Nam conversio est dispositio, et dispositio est conversio. Quemadmodum enim, qui est aversus a sole, non incipit disponi ad recipiendam lucem, nisi cum incipit converti ad aspiciendum solem: sic etiam qui est aversus a Deo, non incipit disponi ad gratiam Dei, nisi cum ad eum incipit reverti. Eodem pertinet illud Psalm. LXXVI. *Dixi nunc cæpi, hæc mutatio dexteræ excelsi* (5). Nam (ut notat S. Augustinus in libro II. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 10), significat hoc testimonium ipsam conversionis inchoationem, dono Dei esse tribuendam. Illud item Ezechiel. XXXVI. *Non propter vos faciam, domus Israel, sed propter nomen meum sanctum, quod polluistis in gentibus* (6). Quid aliud indicat, nisi nihil Deum in hominibus invenire, cur eos ad se convertat, detque eis *cor novum et spiritum novum*, ut in eodem Propheta continuo adjungitur. Quem locum diligenter notavit S. Augustinus in lib. de gratia et libero arbitrio cap. 14.

Adducunt quoque passim idem Augustinus, et Concilium Arausicanum, item Prosper, Fulgentius et alii, illud Proverb. VIII.

(1) Joan VI, 44. — (2) Ibid. XV, 5. — (3) I Corin. IV, 7. — (4) Psal. LXXXIV, 5; Thren. V, 24. — (5) Psal. LXXVI, 11. — (6) Ezech. XXXVI, 22.